



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm Vltimvm. Venerabilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

## CAPITVLVM VLTIMVM.

## Venerabilis.

## PARAPHRASIS.

Cervicenses cives cum duobus Clericis Ravennatenſis Eccleſiæ coniurauerunt contra Archiepiſcopum Ravennatenſem, dantes iſtis pecuniam, & jurare facientes ad hoc celandum; poſtea Archiepiſcopus ſuper hâc re litteras à ſede Apoſtolicâ impetravit ad iudices delegatos, eoram quibus cùm intentionem ſuam probare non poſſet, niſi per ciues, qui dictum iuramentum ediderant, ideò ne ob teſtium defectum iuſtitia cauſæ pereat, petiuit ab Honorio III. provideri. quare iſ ſcribit ad iudices illos, vt præviâ monitione per cenſuram compellant eos, quos compellendos putauerint ad abſoluendos teſtes à iuramento præſtito, ac deinde teſtes iſtos, ſi gratiâ, odio, vel timore ſe ſubtra-

xerint, ſimiliter per cenſuram cogant ad ferendum teſtimonium.

## SUMMARIUM.

1. Coniurantes contra Episcopum accuſari poſſunt tanquam de graui crimine.
2. Jurans ſe non dicturum teſtimonium in iudicio, id ſi poſtea neceſſarium ſit, jurans prius ad cautelam à iuramento eſt abſoluendus.

**Not. I.** Si qui contra Episcopum coniurationem ſeu cõſpirationem faciant, de hoc tanquam graui crimine accuſari poſſunt, quâ de re vide c. Coniurat. 21. & ſeq. cauſâ 9. q. 1. gl. hîc. verb. Coniurat. Abbatem & Felin. n. 2.

**Not. II.** Qui iurauit ſe teſtimonium non dicturum in iudicio, ſi poſtea eius teſtimonium neceſſarium ſit, abſoluendus eſt prius à iuramento ad cautelam, & maiorem ſecuritatem, vt hîc gl. tradit. verb. Iuramento. & dixi in cap. 4. hoc tit.

## TITVLVS XXII.

### DE FIDE INSTRUMENTORUM.

**R**ostquam de præcipuâ ſpecie probationis actum eſt, quæ ſit per teſtes, ſequitur, vt de altero probandi modo agatur, videlicet per iſtrumenta, id eſt, ſcripturas publicas, & priuatas, quibus res geſta, & in iudicium deducta oſtendi poteſt.

## CAPITVLVM I.

## Si Scripturam.

## PARAPHRASIS.

Exemplo ſeu transcripto non creditur niſi originale, vel authentica ſcriptura exhibeatur, aut de eâ fides fiat.

## SUMMARIUM.

1. Scriptura alia publica, alia priuata. Publica eſt, qua manu Notarij legitime conſecta eſt.

2. Solemnitates reuoluentur, quæ in tali publica Scriptura adhiberi ſolent.

3. Scriptura publica quandoque appellari ſolet qua apud acta publica iudicii conſecta eſt. & hac etiam authentica eſt, modo raſura, vel alius defectus fraudis ſuſpicionem non moueat.

4. Scriptura priuata alia eſt authentica, alia non authentica. quid utraque ſit, & qua reſquiſita.

5. Exemplum ſeu transcriptum nihil probat abſque originali, niſi per manu Notarij, aliâque ſufficientia teſtimonia ei fides fiat.

**I**n primis aduertendum, quòd Scriptura alia publica ſit, alia priuata, Scriptura publica eſt; quæ manu Notarij legitime conſecta eſt, ſolemnitates autem, quas Notarij in conſcificendis iſtrumentis adhibere ſolent, enumerat Dur. in ſpeculo lib. 2. p. 2. de iſtrumentis editione. §. 2. & 4. Abbas & Felin. hîc. videlicet